

4. Imo quamcunque sortem Deus immiserit, æquo animo suscipiendam ferendamque credamus.
5. Ex aduerso, in hunc statum coniecti fugiant cogitationes, quæ in desperationem inducunt. Confidendum potius est Deo benigno, qui omnia bene fecit, facit & faciet.
6. Causa damnationis sunt peccata *Propterea quasi a facie colubri fugiamus peccata, quasi accesserimus, mordent: dentes leonis sunt dentes ejus, tollentes animas hominum &c. Ecclesiast. XXI, 2. 3.*
7. Peccata etiam, quæ leuia videntur, magnos angores excitare possunt. Nullum ergo peccatum vile putemus: sed in perpetua sollicitudine ambulemus.
8. Peccata etiam remissa novos angores excitare possunt. Qui sapit, post peccata patrata quotidianæ studeat pœnitentiæ.
9. Deum iustitia sua vindicativa movet ad præbendum hominibus peccatoribus prægustum damnationis. Qui iudices terrenos fallere aut flectere, & sententiæ ac pœnis ipsorum se subducere posse persuasi sunt; infallibilem illum & rigidum & summe potentem iudicem vereantur.
10. Deus mediante Lege & maledictionibus ejus peccatores terret, & damnationi vicinos aut subjectos reddit. Satius igitur est, audire Legem præcipientem ac prohibentem, eique obedire, quam intercedente transgressione, maledictiones ejus cervicibus nostris attrahere.
11. Lex ipsa virtutem Dei tam insignem penes se habet. *Vocem ejus audientes, ne obduremus corda; Ps. XCV, 7. 8.* Nam corda, quæ mature flecti se non patiuntur, superata tandem duritie, vim Legis majorem, suo malo, experientur.
12. Lex Dei, in casu tentationis, peccata alias incognita manifestat. Sed nos credamus, satius esse, ea sic nobis in vita præsentis innotescere, quam ut hic non agnita, sero demum, in iudicio extremo, cum ignominia publica & perpetua, nobis ob oculos ponantur.
13. Lex peccatoribus nobis, post lapsum, nisi Evangelium accesserit, *ministerium mortis* est. Rectissime igitur in praxi utraque conjunguntur, etsi in se sint distinctissima.
14. Satanas negotiosus est in propinando nobis poculo malorum infernalium. Caveamus ergo, ne deliciis seculi inebriemur, unde poculum istud amarum declinare deinceps nequeamus.
15. Satanas verbo Dei abutitur, ad fallendos & in desperationem inducendos homines. Nostrum est, omnes verbi Dei corruptelas, tanquam doctrinas dæmoniorum averfari, & attendere, ne illabamur *eis τὰ βάνη τῆ Σατανᾶ.*

16. Sa-